UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117794**

§. 4. Pynufius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66042

Visual Library

*habetis, vos in hac Regione majori animarum veſtrarum bono permanſuros? Credimus*, inquit Germanus: *id ne quidem in quæſtionem cadere poſſe.* Tum Joſeph ſermonem exorſus eſt de obligatione promiſſi, dixitque, non nunquam melius non ſervari. Mendacium officioſum probat, imo ex SS. Scripturæ exemplis auctoritatem huic rei conciliare ſe putat, nam hunc errorem non nulli Orientales fovebant. His argumentis duorum amicorum dubium ſolutum, manſeruntque in Ægypto annis ſeptem, quo tempore ſæpe ad fratres ſuos litteras mittebant.

Sæculum IV. A. C. 395.

*c.* 5.
*c.* 6.
*c.* 7.
*c.* 8. 9. *&c.*
*c.* 31.

## §. IV.

## *Pynufius.*

Haud procul ab urbe Panephyſo Caſianus, & ſocius ejus, Abbatem Pynufium inviſerunt, ſibi jam antea cognitum, quod olim in ipſorum Monaſterio Palæſtinæ fuiſſet. Presbyter erat, & magni Monaſterii Rector, in tota Provincia virtutibus, & miraculis clarus; cum ſuo judicio humilitatis exercitatio ſibi deeſſet, aſſumpto ſæculari veſtitu, in Thebaidem ad Monaſterium Tabennenſe, a S. Pacomio fundatum, perrexit. Sciebat in eo Monaſterio regulam Monaſticam exacte obſervari, atque Monachorum multitudo, & locorum diſtantia ſpem injecerant, ibi latere ſe poſſe. Diu

*Coll.* 20. *c.* 1 *Inſtit. c.* 30.

*Sup. t. XV.* §. 58.

ad

Sæculum IV. A. C 395. ad januam ſuſcipi poſtulantem, & ad fratrum pedes proſtratum, non audierunt, quod virum Senem æſtimarent, ideo mundo valedicere, quia mundo frui ulterius non valeret, & potius, ut de fame ſecurus ſit, quam ſalutis deſiderio adveniſſe. Tandem, ſæpius repulſam paſſum, admiſerunt, eique hortum excolendi laborem ſub juvenis fratris imperio injunxerunt. Ipſe obedientia perfecta juveni ſubjiciebatur, & ſervitia, faſtidium moventia, libentiſſime ſuſcipiebat, etiam de nocte ſurgens, ut ea ſecreto perageret. Poſtquam annis tribus ita latuit, quamvis fratres per omnem Regionem Patrem ſuum indagarent, tandem aliquis ex inferiori Ægypto adveniens, ægre tamen, eum cognovit, centonibus tectum, incurvato ſeniliter corpore terram arantem, & fimetum apportantem, ut olera inſereret. Diu dubitavit, an ipſe eſſet, at tandem vultum viri, vocemque agnoſcens, ante pedes ejus provolutus eſt, ſtupentibus Monachis Tabennenſibus, qui hunc congregationis ſuæ minimum reputabant. Sed omnem modum admiratio ſupergreſſa eſt, dum audierunt Senis nomen, fama ſibi jam dudum notum; ergo ignorantiam ſuam dolentes, veniam rogavere, quod indigne tantum virum habuiſſent. Ipſe abundantiſſime lacrymas fundebat, quod humi-

humilitatis occasio, sibi optatissima, eriperetur. Tum fratres ad suum Monasterium reduxerunt, maxima cura cavantes, ne sibi denuo elaberetur. Sæculum IV. A.C. 395.

Nihilominus haud multo post auffugit in Regionem externam, ubi omnibus esset ignotus; noctu egressus, & navigium nactus, in Palæstinam ad Monasterium Bethlehemiticum venit, ubi tunc Cassianus, & Germanus degebant. Tanquam Novitius susceptus, illis duobus in una Cella junctus est. Sed brevi tempore ibi fuit, nam Monachi Ægyptii advenientes, ut in sanctis locis orarent, agnitum, in suum Monasterium reduxerunt. Ubi Cassianus, & Germanus in Ægyptum venerunt, eum sollicite quæsivere, testesque fuere Doctrinæ, quam, tota communitate præsente, Monacho recens susceptо tradidit, postquam eidem pluribus diebus, flagitanti ingressum, januam non aperuerat. *Diu*, inquit: *ingressum tibi denegavimus, quamvis ex toto corde salutem tuam, & omnium aliorum desideremus, imo omnibus ad Deum converti volentibus longissime obviam procedere cupiamus; sed ideo id factum, ne tu, nosque simul coram Deo peccati rei simus, si nimis facile admissus, in teporem incideres.* Deinde vehementi oratione ei necessitatem illam ante oculos posuit, ut Monachus perfecte se

*c.* 51.

*c.* 32. 33. *Coll. XX. c.* 2

Sæculum IV. A. C. 395. ipſum abneget. His duo ſocii Caſſianus, & Germanus commoti, tantum non in deſperationem agebantur; quod tam longe ſibi a profeſſionis ſuæ perfectione abeſſe viderentur. Inde Abbas Pynufius, occaſionem nactus, de pœnitentia, & mediis priſtinos emendandi errores ſermonem inſtituit. Inſtanter rogabat, ut in ſuo Monaſterio manerent, at celeberrimum Scetis deſertum videndi deſiderium eos ibi hærere non ſinebat.

*c.* 3. *c.* 4. 5. *&c.* *c.* 4. *in fin.*

## §. V.

### *Piammon. Joannes.*

Ergo Nilum trajiciunt, & Diolcos exiguam urbem, ad unum ex ſeptem fluvii oſtiis ſitam, devehuntur, ubi aliqua antiqua, & celebrata Monaſteria habitabantur. Anachoretæ alii viſebantur in Inſula, cujus unum latus Nilus, aliud mare alluebat, & in qua nihil præter ſteriles arenas invenire erat; nulla Monachis aqua niſi Nili, ultra tria milliaria a ſuis Cellis diſtantis; hinc eis major cura de aqua conſervanda, quam in aliis locis de vino pretioſiſſimo erat. Præterea per montes, & arenas veſtigia euntium fallentes, ad Nilum impedita erat via. Anachoretarum illorum aliquis, cui nomen Archebius, cum videret, quam ardenti deſiderio Caſſianus, & Germanus tenerentur, in illa ſolitudine permanen-

*Coll. XVI. 2. c.* 1. *Inſtit. X. c.* 36 *c.* 36.

manen-